

6  
DEO CLEMENTER GUBERNANTE

NOBILISSIMO JCTORUM ORDINE IN ACADEMIA  
LIPSIENSI PERMITTENTE

UNAMPLURIUM

OBLIGATIONEM

PRO LICENTIA

PRIVILEGIA ET HONORES IN UTROQUE  
JURE SUMMOS RITE CONSEQUENDI

publicè ventilandam exhibet

*In Auditorio Jctorum Petrino*

PAULUS HORNIGIUS

LIPSIENSIS PHILOS. MAG.

*Ad diem 12. Octobris*

ANNO clc lvc lv.

---

LIPSIÆ

Typis BAUERIANIS.


*Le Schäfer.*

DIGNITAS ...

UNIVERSITAS ...

Faint Latin text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. Includes words like "universitas", "obligationes", "personae", "in eadem persona".

... obligationes ...  
in eadem persona propriam singularis consistit.  
personae societatis ...  
personae promittendi alicuius hereditatis ...



I. N. J. C.

THESIS I.



Irabitur fortè quispiam argumen-  
tum Disputationis nostræ, UNAM PLU-  
RIUM OBLIGATIONEM, quem non  
fallit Philosophorum Axioma: *unum ac-  
cidens non potest esse in diversis subjectis.*  
Sed desinet ille mirari, si adverterit, non  
unam numerò obligationem hîc à nobis considerari, de  
quali identitate Regula ista loquitur; verùm aliâ quâdam  
ratione, puta tùm ejusdem causæ, ex qua obligatio ori-  
tur, *l. 9. pr. ff. de duob. reis.* tùm ejusdem objecti, quod in  
obligationem deducitur, *l. 2. pr. l. 3. in fin. l. 15. ff. eod.* tùm  
ratione finis & effectûs, qui in omnium obligatorum  
persona numerò unus est, solutio videlicet seu debiti  
præstatio; hâc namq; ab aliquo ex reis semel factâ, omnes  
liberantur. Quam explicationem quoq; evidenter o-  
stendunt Imp. Justiniani verba, *in §. 1. Inst. de duob. reis:*  
*in utraq; obligatione una res vertitur, & vel alter debitum,*  
*accipiendo, vel alter solvendo, omnium perimit obligationem,*  
*& omnes liberat.*

II.

Cæteroqui numerò distinctas esse obligationes, &  
in cujusque persona propriam singulorum consistere,  
Papinianus docet in *l. 9. §. ult. in fin. ff. de duob. reis*, adeò  
ut, si reus promittendi alteri reo heres extiterit, duas ob-

ligationes eum sustinere Venulejus scripserit *l. 13. ff. eod.*  
& ex Juliano referat Ulpianus in *l. 5. ff. de fidejussorib.* Ha-  
bet tamen utraque parem causam, & est ejusdem pote-  
statis, *d. 11.* Dicitur ergo UNA OBLIGATIO ab Ulpiano  
*l. 3. §. 1. in f. d. tit.* vel EADEM *l. 16. pr. ff. de acceptil.* pro-  
pter *identitatem causalem*, (uti vocant Metaphysici) re-  
spectu scilicet, ad causam Efficientem, materialem, & fi-  
nalem habito. Conf. paulo aliter Joh. Ronchegall. *in tr.*  
*de duob. reis ad l. 3. vers. utiq. n. 1. & seqq.* Francisc. Cardi-  
nal. Mantic. *de Tacit. & ambig. convention. lib. XV. tit. 4.*  
*per tot.* Andr. Scheffer. *quest. Jur. practicabil. part. 3. quest.*  
*16. n. 1. & seqq.*

### III.

Appellatur aliàs à DD. OBLIGATIO CORREALIS,  
voce ut ad rem exprimendam accommodatâ, ita barba-  
râ, & vix alicui ex classicis scriptoribus usitatâ. Cujus-  
modi profectò CONREI seu CORREI nomen non est, Ulpia-  
num purissimum nitidissimumq; (si Cujacio fides) au-  
ctorem habens, *in l. 3. §. nunc de effectu. 3. ff. de liberat. leg.*  
De OBLIGATIONE, ejusque variis acceptionibus satis  
protritis & ubique obviis verbum non addo. Sufficiat  
ad thema Dissertationis hujus determinandum monu-  
isse, acturum me DE OBLIGATIONE PASSIVA, NON  
ACTIVA, MIXTA, NON SIMPLICI. Circa cujus tracta-  
tionem sic versabor, ut methodum non minus receptâ,  
quàm elegantem & perspicuam tenens, præmissis sum-  
matim Definitione ac Divisionibus, Causas deinde &  
Effectus, & tandem Affinia quoque & Contraria expo-  
nam.

### IV.

Quamvis autem *reorum debendi* variæ descriptio-  
nes passim occurrant apud Interpretes. Vid. Bart. *in l.*  
*fin. in*

*fin. in f. ff. de duobus reis.* Joh. Schneidvvin, & Institutistæ  
 commun. *ad pr. Instit. eod.* in primis Ludolph. Schrader.  
*de contractib. ad tit. 17. Inst. de duobus reis. n. 27.* Joh. Ron-  
 chegall. *ad l. 2. ff. eod. n. 35.* Treutl. *Vol. 2. Disp. XXVII. th. 9.*  
 Donell. *comm. Cod. eod. c. 4.* Joh. Goedd. *de contrab. & com-*  
*mitt. stip. c. 5. conclus. 10. n. 126.* tamen eorum obligatio-  
 nem ullibi aut depictâ aut unâ oratione expressam videre  
 mihi nondum contigit. Ego sic definiendam existimo:  
 UNA PLURIUM OBLIGATIO nihil aliud est, quàm  
 obligatio, quâ plures ex eadem causa ad eandem rem prestan-  
 dam in solidum singuli adstringuntur, in securitatem credito-  
 ris constituta.

V.

Definitioni huic ex causis conflatae, earum exposi-  
 tione uberiori inferiùs instituendâ lucem foenerabimur,  
 suamque asseremus veritatem. GENUS PROXIMUM,  
 nempe OBLIGATIO (seu in accidentium descriptioni-  
 bus fieri consuevit,) FORMAM continet. Cui Generi  
 frustra objeceris Dialecticorum regulam, negantium  
 Definitum debere ingredi Definitionem, ex Aristotele  
*lib. 6. Topicor. c. 4.* Accipiendâ quippè illa est de toto De-  
 finito, non de parte ejus aliqua: quam si notio-  
 rem integro Definito posueris, (quemadmodum hic manifestò  
 contingit) tantum abest, ut absurdum sit, Definitionem  
 ingredi, ut in complexis terminis describendis nihil ha-  
 beatur usitatus. Add. Stahl. *in Regg. Philosoph. tit. 12.*  
*reg. 4. §. 12. & seq.* Maximè autem huc confugere neces-  
 se est, quotiens species existunt, quarum propriae appel-  
 lationes nullæ proditæ sunt: Quoniam enim natura re-  
 rum conditum est, ut plura sint negotia, quàm vocabula,  
*l. 4. ff. de prescript. verb.* itaque sæpè accidit, ut unum  
 verbum fungatur vice generis & speciei. Qualia pacti,

A. 3,

juris-



jurisdictionis, cognationis, adoptionis nomina utrumque  
significantia annotavit Reinhardus Bachovius *ad §. ad-  
optio autem i. Inst. de adoption.*

VI.

DIFFERENTIA à reliquis Causis desumta est. SUB-  
JECTUM enim plures aperiunt: OBJECTUM, eadem-  
res: CAUSAM EFFICIENTEM PROXIMAM, eadem-  
causa: FINEM INTERMEDIUM, *prestatio singulorum in  
solidum*: ULTIMUM, *creditoris securitas*. Atque hæc,  
si penitiùs inspiciantur, cum vulgatis DD. requisitis ad  
amissim congruunt. Nisi quòd nonnulli duo præter-  
ea Definitioni duorum reorum debendi infarcire, aut  
substantialium numero agglomerare nituntur; nimi-  
rùm Correorum obligationem debere esse *voluntariam  
& ex libero consensu profectam*; post Bart. *in l. eandem q.  
quest. 6. n. 7. & in l. fin. n. 6. ff. h. t. & in Auth. hoc ita q. 8.  
num. 10. C. eod.* Joh. Ronchegall. *d. tr. ad l. 1. n. 18. usq. ad  
33.* Ludolph. Schrader *loc. alleg. n. 28.* Schneidvvin. *ad pr.  
Inst. eod. num. 9. & ex eo Dn. Hahnii in Observ. Theorico-  
pract. ad paratit. Wesenb. Vol. 2. tit. de duobus reis n. V. p.  
m. 650. ac denique principalem, non accessoriam.* Bart. *in d. l.  
eandem q. 5. n. 6. & in l. fin. n. 6. ff. h. t. & in d. Auth. hoc ita  
q. 7. n. 9. C. eod.* Schrader. *n. 33.* Schneidvvin. & Dn. Hahn  
*loc. alleg. Hugo Don. in Comm. Cod. h. t. c. 4. n. final.*

VIII.

Enimverò ut pro genuinis, & ad quorumlibet cor-  
reorum constitutionem necessariis isthæc agnoscam,  
neutiquam adduci possum. Nam quod primum attinet;  
quantumvis tutores, aliosque, qui ad officium admini-  
strandum, non sponte suâ, sed Juris necessitate compel-  
luntur, ex eaque gestione in solidum quisque obligantur,  
verè ac propriè Conreos esse illi negent; tamen simplici-  
ter



ter hâc tribu movendos haud esse, patèbit ex iis, quæ dicam *Pos. XXXI.* Quin etiam si id maximè dederim, gravissimè constringentur argumento ab eis de sumto, qui ex quasi delicto obligantur singuli, perceptione autem pœnæ ab uno factâ omnes liberantur, *l. 1. §. fin. j. l. 3. §. 4. ff. de his qui effud. vel dejec.* Quod obtinet quoque, si ex delicto vero ad id quod interest agatur, *l. 1. §. si plures 4. j. l. 3. pr. ff. de eo per quem fact.* Gloss. *ad l. Mela. ii. §. sed si plures. 2. ff. ad L. Aquil.* Adeoque quoniam jure duorum reorum utuntur, nil obstat, quin Correorum definitione, ad eos facillimâ operâ adplicandâ, comprehendantur. Jam verò delinquentes non ex consensu, sed ex re, id est, ex ipso maleficio obligari, apertè Imperator tradidit *pr. Inst. de oblig. quæ ex delict. nasc.* & solidè defendit præcellens JCtus Dn. Georgius Frantzkius *Exercit. 12. q. 1.* quidquid in contrarium afferat Hillig. *ad Don. lib. 15. Comm. 23. lit. B.* Quamobrem apparet, quòd ad duorum reorum constitutionem voluntatem ipsorum necessariò ac semper haud concurrere oporteat, dispositione legis aut ipsius facti qualitate defectum consensûs supplente.

#### VIII.

Majorem veri speciem præ se fert alterum, scilicet *correos haud fieri, nisi quilibet eorum sit principaliter obligatus.* Id si intrâ comparationem rei principalis cum fidejussore consisteret, nempe quòd illi, qui accessoriam tantum obligationem sustinent, juxtâ cum iis qui principali nexu devincti sunt, Correi dici nequeant; nemine fortassis repugnantè immotum ac firmum maneret: At enim quum ad *confidejussores* etiam porrigitur, quasi neq; istos inter sese Conreorum nomine salutare jus fasq; sit, haud immeritò Johannis Gœddæi notam incurrit *in tr. de contrab. §. committ. stipul. c. V. conclus. 10. n. 136. §. seqq.*

Et-

Etenim quando & constituta pecuniæ rei, & mandato-  
res, duo rei censentur, *l. à si duo pr. 16. ff. de pecun. constit. l.  
si mandata. 59. § Paulus. 3. ff. mand. l. 57. §. fin. ff. de fidejuss.  
l. reos 23. l. fin. C. eod.* quos alienæ obligationi ac-  
cedere constat, *ex l. 5. §. 4. l. 11. l. 26. l. 28. ff. de pecun. con-  
stit. l. 32. l. fin. §. ult. ff. mand. rubr. ff. § C. de fidejussor. §  
mandator. § ibi Cujac. in paratit.* quid est, quare idem  
fidejussoribus denegare debeamus? siquidem alias, quod  
juris est in mandatoribus, etiam in fidejussoribus obser-  
vatur, & vice versâ, *l. 10. §. 11. d. l. 32. ff. mand. § d. l. fin. C.  
de fidejussor.* Potissimum verò, quò plures fidejussores,  
pro eadem obligatione apud unum eundemque Credi-  
torem spondentes, in duorum reorum classem refera-  
mus, persuadet Definitio nostra, quæ istis optimè & sine  
aliqua difficultate aptari potest. Quidni ergò & Defini-  
tum, *unam plurium obligationem*, & proprium illis, qui  
tali obligatione tenentur, *Correorum* nomen competere  
dicamus?

IX.

Veruntamen, ne urgeant adversæ opinionis adfer-  
tores, in toto corpore Juris & nominibus, & titulorum  
inscriptione, & effectuum diversitate discretos reperiri  
duos reos à fidejussoribus ingeminantes; apprimè no-  
tandum est, *duos reos debendi* esse omnes illos, quorum  
singuli ad eandem rem ex eadem causa solvendam in-  
solidum tenentur: sed eorum alios specialius nomen  
adsumere, & quasi in specialiore formam, à qua no-  
men mutuantur, transire; alios verò generis sui finibus  
ac nomine contentos subsistere. Illos igitur correos spe-  
cialiùs appellari *fidejussores sive confidejussores*, hos tan-  
tùm *duos reos promittendi vel debendi*. Itaque mirum  
non erit, si effectus quidã, uni speciei proprii, alteri quo-  
que

que sub eodem genere contentæ non statim fuerint tri-  
buti, uti fusiùs & egregiè hæc expedit Joh. Gœddæus *loc.*  
*alleg. conclus. 10.* ubi & partis adversæ argumenta unâ quasi  
acie collocata masculè dissolvit.

X.

Confirmatâ Definitione sequuntur DIVISIONES,  
quæ totidem ferè effingi queunt, quot obligationis mix-  
tæ (cujus speciem hanc agnoscimus) tradi solent. Ita  
*respectu Cause Efficientis remotæ*, alia est CIVILIS, alia PRÆ-  
TORIA *arg. §. 1. Inst. de oblig.* *Respectu proxime*, quæ-  
dam EX CONTRACTU VEL QUASI, quædam EX MA-  
LEFICIO VEL QUASI descendit. *§. ult. Inst. eod.* Ra-  
tione *materiae circa quam seu objecti*, aut DANDI est aut  
FACIENDI: item vel DIVIDUA, vel INDIVIDUA.  
Quarum membra & species singulatim explicare nec  
vacat, nec operæ precium est, præsertim quùm alibi tra-  
ctari soleant à Dd. & in Causarum explanatione sese rur-  
sus offerant.

XI.

Progredimur itaque ad CAUSAS EFFICIENS RE-  
MOTIOR est, tùm *Jus Gentium*, ex quo omnes penè obli-  
gationes institutæ *l. 5. in fin. ff. de J. & J. §. 2. in f. Inst. de*  
*J. N. G. & C.* tùm *Jus Civile*, quod partim obligationes  
Juris gentium approbavit, & ad effectum actionis confir-  
mavit, partim nonnullas introduxit, *d. §. 1. Inst. de obli-*  
*gat. & l. 5. in fin. ff. de J. & J.* Add. Dn. Frantzk. *Exercit.*  
*IX. q. 1.* Sub quo in genere sumto etiam comprehenditur  
*Jus Prætorium §. 7. Inst. de I. N. G. & C.* nam & Prætor  
quasdam obligationes ex sua Jurisdictione constituit, *d.*  
*§. 1. Inst. de oblig. j. §. 8. & seqq. Inst. de action.*

XII.

CAUSA PROPINQUA est tale factum, quo inter-  
venien-

B

venien-

veniente lex producit obligationem. Hoc Jure quidem Romano est triplex, *Pollicitatio*, *Conventio*, & *Delictum*. Dn. Hahn. *in observ. Theorico-pract. ad Wes. parat. de O. & A. n. V. p. 633.* Ex *Pollicitatione* plures in solidum obligatos, haud temerè reperias. Quin tamen ob honorem suum vel alienum *l. 14. ff. de pollicitat.* vel ob casum quem civitas passa est. *l. 4. l. 7. ff. eod.* vel ob aliam justam causam *l. 2. §. 1. eod.* Reip. unam rem pariter promittentes, & fidem suam singuli obstringentes, pro duobus reis tenerentur, nequaquam dubitârim. Quoniam sic personæ pollicitantium omnes obligarentur, res autem quæ offertur soluta omnes liberaret, arg. *l. 2. ff. de pollicitat.* Et facit, quòd donatione duo rei constitui possint, see. vulgatam DD. doctrinam *ad l. in lege Falcidia 62. ff. ad L. Falcid.* donationi autem maximè affinis est pollicitatio arg. *l. 13. §. 1. l. 9. ff. de pollicit. l. 19. ff. de donat.* Præcipuè igitur inspicient Judices, id est Magistratus (ita vocabulum *JUDICUM* in *l. 8. ff. de pollicitation.* interpretor cum Bachovio *in not. ad Wes. parat. d. t. lit. b.*) quorum extra ordinem est de pollicitationibus cognitio, quid acti sit.

### XIII.

*Conventio* vel *nuda* est, vel *vestita*: eaque rursus *vestimento* aut *interno* & *naturali*, qui *Contractus* nuncupatur, aut *accidentali* & *externo*, nimirum vel *assistentiâ legis*, vel *coherentiâ contractûs*; priora *pacta legitima*, posteriora *pacta adjecta* dici solent. Ita distingvere solent accuratiores quique inter DD. Bach. *ad Treutl. Vol. 1. Disput. VI. th. 1. lit. E. & ad §. 2. Inst. de Oblig. n. 7. item in prot. ad tit. ff. de pactis sub tit. de division. pactor. pag. 563.* Dn. Frantzk. *Comm. ff. ad tit. de pact. n. 22. & seqq.* Dn. Ludvvell. *Disp. ad Instit. XI. th. 2. lit. b.* Dn. Hahn. *in observ. ad Wesenb.*

*Wesenb. paratit. de pact. n. 2. p. 234. Conventio nuda seu pactum nudum nihil ad nos, quia non producit obligationem ad agendum efficacem l. 7. §. 4. l. 41. l. 45. ff. de pact. l. 10. C. eod. Quamobrem ad Contractus pergamus. Horum quatuor sunt species. Aut enim re contrahuntur, aut verbis, aut literis, aut consensu. §. fin. Inst. de obligat. de quibus singulis dispiciamus.*

XIV.

Cæterum ne dubium alicui h. l. suboriretur, opinanti, ex sola Verborum Obligatione duos reos constitui posse; unde & in Digestis titulus, DE DUOBUS REIS CONSTITUENDIS, proximè rubricæ, DE VERBORUM OBLIGATIONIBUS, subjectus, & in Institutionibus, præterquam quòd eadem serie locatus, apertè DE DUOBUS REIS STIPULANDI & PROMITTENDI, inscriptus legatur: præcavere voluit *homo excelsi ingenii* Papinianus, (hoc encomio ornatus ab Imp. §. *sed quia*. 7. Inst. de fideicommissar. hered.) lib. 27. *question.* cujus verba referuntur in l. 9. ff. de duob. reis. *Eandem rem, inquit, apud duos pariter deposui, utriusq. fidem in solidum sequutus: vel eandem rem duobus similiter commodavi: sunt duo rei promittendi: quia non tantum verbis stipulationis, sed & cæteris contractibus, veluti emtione, venditione, locatione, conductione, deposito, commodato, testamento.* Nimirum ostendit Jctus, tametsi constitutio Conreorum, quæ fit per stipulationem, magis frequens magisque usitata sit; (undè increbuerat pervulgataque erat apud homines opinio, verbis duntaxat stipulationis, non aliis contractibus, eam fieri: quam *rationem dubitandi ad d. l. 9.* suppeditat Joh. Ronchegallus n. 2. & *seqq.*) nihilominus tamen æquè benè per alios contractus, v. g. emtione, venditionem, locationem, conductionem &c. expediri posse. Non quidem tum



demum, quum contractus illi in stipulatum essent dedu-  
 cti, ceu vetus Interpres Martinus Sulmannus & Castren-  
 sis existimarent, quos vel sola textus hujus attenda lectio  
 refellere potis est; sed aut conventionem contrahentium,  
 id aperte agentium, ut vellent ei, cum quo contrahitur,  
 in eam causam in solidum obligari; ut ex verbis *d. l. utri-  
 us q. fidem in solidum sequutus*: colligunt Gl. *ad d. l. 9. verb.  
 danto.* & Interpp. communiter, teste Johan. Ronchegallo  
*ad d. l. 9. n. 8. § 20.* Donellus *comm. C. eod. tit. c. 12. num. 1.*  
 aut quandoque ex ipsius negotii natura, solidi obligatio-  
 nem in singulorum persona producente, veluti ex iis, que  
 th. VII. allata fuere, constare potest.

XV.

Quapropter recte affirmabimus, ad omnia Con-  
 tractuum genera Obligationem Corream pertinere.  
 Licet enim Jctus *in sepe laudata l. 9.* aliquos tantum, vi-  
 delicet emtionem, venditionem, locationem, condu-  
 ctionem, depositum, commodatum, testamentum enu-  
 meraverit: inde tamen reliquos exclusisse hoc ordine,  
 neutiquam putandus est. Quin potius dictione, *CÆTE-  
 RIS*, extense integreque scripta, utpote universali, com-  
 plecti videtur omnia, que ex verbi *CONTRACTUS* signi-  
 ficatione comprehendi queunt, ut adnotat Francif. Areti-  
 nus *ad d. l. 9. n. 2.* Et satis monstrat adjecta particula, *VELUTI*,  
 exempli gratia contractus istos memoratos fuisse, non  
 ut regula (scil. ex contractibus duos reos promittendi fi-  
 eri) ad eos solum restringeretur *arg. §. 1. §. poenales 12.  
 Inst. de actionibus.*

XVI.

His ergo discussis, videamus *Reales Contractus*. In-  
 ter illos ut ordine, ita difficultate primas obtinet *Mutu-  
 um*. Etenim quandoquidem contractus iste re, id est, rei  
 tradi-

traditione perficitur *l. 2. §. 3. ff. de reb. cred. pr. Instit. quib. modis re contr. oblig. & traditio initium obligationi præbet. l. 1. §. 2. ff. de rer. permut. nullâ ratione fieri posse videtur, ut ultrâ id quod accepit, mutuarius teneatur. l. si tibi. 17. pr. ff. de pact. l. rogâsti. 11. §. 1. ff. de reb. cred. l. cum ultrâ 9. C. de non num. pec.* Unde nata Martini Sulmanni adseveratio, citius casura è cœli firmamento sidera ipsa, quàm obligatio, quæ re contrahitur, contrahatur in plus quàm ad quempiam reverâ perveniat, referente Bartolo *ad d. l. 9. ff. de duobus reis num. 1. & ad Auth. hoc ita. n. 4. C. eodem. Jafone in d. l. rogâsti. §. si tibi 1. ff. de reb. credit. aliisq.* Jam verò id accideret, si ex eadem quantitate mutuo data plures in solidum obligarentur, quum per naturam unâ illam in solidum integram habere nequeant, *arg. l. 5. §. ult. ff. commod.* Veruntamen nihilo secius in mutuo duorum reorum constitutionem admitti, clarè ostendunt Principum Rescripta *l. 2. & l. 4. C. de duobus reis & l. si non singuli. 5. C. si cert. pet.* Hæc tam pugnantia ut cõponant DD. miserè se torquent.

XVII.

Complures cum Glossa *in d. l. si non singuli.* ajunt, uni reorum numeratam pecuniam reliquorum voluntate, omnibus numeratam intelligi, quâdam Juris fictione *arg. l. 11. §. 5. ff. de pignor. act. l. restituta. 37. pr. ff. ad SC. Trebell.* Ac ne quis regerat, naturaliter fieri non posse, ut eadem res ad plures perveniat in solidum: ergò nec civiliter posse intelligi, quum fictio legis non porrigatur ad id quod secundum naturam est impossibile *arg. l. 15. in fin. cum l. seq. ff. de adopt. l. 14. vers. & ideò ff. locat. l. 3. §. 5. ff. de acquir. possess. in promptu habent distinctionem, inter id, quod in genere est impossibile, quale lex non fingat, veluti quod filius sit major patre, d. l. 15. in fin. cum l. seq. ff. de adopt. &*

quod *in specie* impossibile existit, v. g. quod Titius, qui captus fuerat ab hostibus, semper in civitate permanerit. Quia igitur in genere possibile est, aliquem ejusdem conditionis semper fuisse in civitate, jus postliminii fingit Titium, qui ab hostibus captus & postea reversus est, in civitate semper fuisse, & idè omnia pristina jura recipit. *l. postliminum. 19. ff. de captiv. & postlim. §. si ab hostibus 5. Inst. quibus modis jus patr. pot. sol.* Simili modo quum possibile sit in genere talem pecuniam ad plures pervenire, hoc etiam fingitur à lege, quamvis in specie (id est, quoad illa corpora seu individua nummorum, quemadmodum Philosophus loqueretur) donec apud unum est, apud alium esse nequeat. Vel (quod Alciatus scribit *in l. si is qui pro emtore 15. n. 51. ff. de usucapion.*) licet eadem res ad duos in solidum pervenire simul & semel non possit, tamen si unumquemque debitorem singulatim perpendamus, nihil prohibet quin singuli in solidum obstricti intelligantur: & fictio, quæ conjunctim est impossibilis, si separatim accipiatur possibilis est. Conf. Bart. *ad d. l. eandem n. 1. & 2. Mantic. de tacit. & ambig. convention. lib. 15. tit. 2. n. 4.*

#### XVIII.

Alii dicunt, pecuniam solidam seu summam integram pluribus numerari, ita, ut quodam ordine ad omnes perveniat, & tandem uni solùm dimittatur, penes quem illa remaneat. Quo contingere, ut quamvis eo nomine plures nascantur obligationes, ratione plurium traditionum, tamen stante veritate & rei unitate, semel tantum, non pluries, fiat exactio, *l. 3. §. 1. in f. ff. de duobus reis.* Ita post Bart. *in d. l. 9. n. 2. in f.* Joh. Ronchegallus *ad d. l. 9. n. 14.* Luculentius modum tradit Donnellus *comm. ad tit. C. de duobus reis c. 12. n. 2.* Nam iis, ait, quibus



quibus pecunia naturaliter numerata non est, videtur numerari per interpositam personam ejus cui numerata est, *arg. supr. laudata l. 37. ad SC. Trebell.* Sic deinde ab his velut accepta, videtur ab his ipsis ad eum profecta, cui numerata est: ut sic ad singulos pecunia perveniat diversis temporibus, tanquam brevi manu, occultatis non necessariis traditionibus; ut in causis similibus factum accipiendum esse docemur *in l. 3. §. pen. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Sed hæc opinio quantumvis subtiliter excogitata, veritati & rationi Juris consentanea non videtur. Præterquam enim quòd fictio brevis manus, alioqui singulariter & benignè recepta *l. 15. ff. de reb. cred. l. 34. pr. ff. mand.* in tot personis, quot in nostro casu sæpius intervenire necesse est, locum vix inveniat. (vid. Bach. *ad §. interdum 44. Inst. de R. D.* Dn. Hahn. *ad Wes. parat. de reb. cred. n. 12. p. 475.*) acutè arguit Aretin. *ad d. l. 9. ff. de duobus reis:* impossibile esse, ut sic duo rei constituentur; quia primus, solvendo alteri voluntate creditoris, censetur creditori pecuniam reddidisse, isque eam alteri numerasse, juxta *l. singularia 15. ff. de reb. cred. & d. l. 3. §. pen. ff. de donat. inter vir. & ux.* quo fit, ut prior recipiens dicatur aut nunquam obligari, *arg. l. qui sic. 55. ff. de solut.* aut statim liberari: ideoque non possit dici alterius Conreus.

#### XIX.

Denique nonnulli brevius & planius responderi posse arbitrantur: non proinde, ac quibusdam existimatum, impossibile esse, eandem rem duobus in solidum, sed pro indiviso, tradi: velut agnoscit *Apostilla ad Bart. in d. l. 9.* quam sententiam etiam haud pridem sequutus est quidam homo eruditus. Sed & ista verosimilis mihi non sit: quandoquidem non de quavis re, videl.

de

de specie certa sed de quantitate, in mutuo quippè, sermo est; Quantitas autem quum naturaliter & pro diviso partes recipiat. *l. 2. §. 1. ff. de V. O. l. 9. l. 29. ff. de solut.* Frantzk. *Exer. 10. q. 4. n. 12, 15, 16,* idcirco pro indiviso pluribus tradi nequit. Imò etsi sic traditam concedamus, obligatio tamen inter accipientes dividetur. *d. l. 29. in f. ff. de solut.* & tam petitio quam solutio pro partibus fiet, sive ad portiones spectabit, ut ait Ictus Paulus *in l. 85. §. 1. ff. de V. O.* Quod naturæ duorum reorum adversatur. *l. 2. §. 1. 3. §. 1. ff. de duobus reis.*

XX.

Ego in re tam ambigua, vix invenio, quid sequar. Attamen malim cum responsione prima Accursii & plurimorum transire. Si quidem (ut missas faciamus accipites & penè coactas impossibilium distinctiones) Juris interpretatione multæ admittuntur fictiones super re prorsus impossibili; veluti eum qui in utero est esse jam natum *l. 7. l. 26. ff. de stat. hom.* hominem iterum mori vel occidi *l. 51. §. 2. ff. ad L. Aquil.* illum vivere, qui mortuus sit, *l. 18. ff. de excusat. tut. vel. curat. pr. Inst. eod.* & id genus aliis infinitis casibus, ubi æquitas suggerit. Nam licet res actualiter tolli, poni, aut mutari à lege nequeant, fictione tamen Juris ponuntur, tolluntur vel variantur rerum effectus Dn. Hahn *Vol. 2. observ. ad Wes. parat. de probat. n. final. p. 88.* Et pro fictione hac militat manifesta æquitas, dum creditor pluribus pecuniam annumerans singulorum fidem sequitur, quandoque minime sollicitus, ad quem ex illis nummi perventuri sint. Finge enim, post adnumeratam in mensa illis adfidentibus pecuniam, creditorem illicò discedere, ignorantem, quisnam loculis suis conditurus sit, iniquissimum foret huic denegare actionem, aut probatione difficillimâ, quòd

quòd reorum unus, quem convenit, pecuniam acceperit, ipsum onerare, utpotè cui sufficiebat pecuniam in conspectu debitorum deposuisse. *arg. l. 79. ff. de solut.* Neq; hæc fictio quidquam incommodi habet, quoniam una solùm competit exactio, & solutio una sufficit *l. 3. §. 1. ff. de duobus reis*, nec quidquam ultrà id, quod datum est, reposcitur, quod secus est in *legibus contrà allegatis*; quin & is qui totum solvere cogitur, plerumque indemnis servatur *l. 2. C. de duob. reis.* quemadmodum infra sub Effectu latius dicetur. Conf. Petr. Gilken. *ad d. l. si non singuli §. C. si cert. pet. n. 5. & seqq.*

XXI.

Satis de *Mutuo*, & pro temporis ratione fortasse nimium. Cæteris contractibus realibus, in quibus eadem species restituenda est, duos reos debendi fieri posse minus dubitandum est, quùm *Depositi & Commodati* nominatim mentio fiat, à Papiniano *in d. l. 9. b. t.* Et de *Commodato* quidem id præterea apparet *ex l. 5. §. ult. cum duab. ll. seqq. ff. commod. de Deposito*, *ex l. 1. §. si apud duos. 43. ff. depos. de Pignore colligitur arg. l. si debitor. 10. ff. de pignor. & hypothec. l. Titius Sempronio. 9. ff. quib. mod. pign. vel hypothec. solv.* circa quod postremum vid. Joh. Ronchegall. *d. tr. ad l. eandem. 9. ff. de duob. reis. n. 280. & seqq.* Observandum autem, ex hujusmodi contractibus *duplicem* oriri *obligationem*, alteram *primitivam* seu *principalem*, quæ respicit rei depositæ, vel commodatæ, vel pignoratæ restitutionem: alteram *secundariam* seu *accessoriam*, quæ provenit à dolo vel culpa à recipientibus circa rem illam commissa. Bart. *in d. l. eandem. 9. n. 3. ff. de duob. reis.* Dionys. Gothofr. *in Not. ad l. 1. §. 43. ff. depos.* Mantica *de tacit. & ambig. convent. lib. 15. tit. 2. n. 5.* Quod ad principalem obligationem pertinet, duo rei debendi constituuntur

C

tur

tur, si id actum sit *d. l. 9. ibi: utriusq. fidem in solidum sequu-  
sus. ff. de duob. reis. l. 10. ff. de pign. j. l. 16. §. si duo eod. tit.* In  
secundaria etiam obligatione duo rei possunt constitui,  
si id agatur; alioquin ex facto singulari, id est, si unus tan-  
tum dolum vel culpam admiserit, iste duntaxat obstri-  
ctus erit, *d. l. 1. §. 43. in f. ff. de pos. ex facto autem commu-  
ni singuli in solidum tanquam correi tenebuntur d. §. 43.  
l. 22. ff. de pos. l. 15. ff. de tut. & rat. distrab. l. 5. in f. ff. com-  
mod. Bart. & Mantica loc. alleg. Diss. latè Johan. Ronche-  
gallus loc. cit. n. 260. & multis seq.*

XXII.

*Consensuales quoque Contractus* haud respuere ob-  
ligationem correalem docet *Jctus d. l. 9. emtionem, ,  
venditionem, locationem, conductionem in exemplum  
adducens. Idemque de locatione disertè Ulpianus tradi-  
dit l. 13. §. 9. ff. locat. & Impp. rescripsere in l. si divisa. 13. C.  
eod. Effectum monstrat Marcellus l. 47. ff. eod. quòd ni-  
mirum quemlibet venditorum aut locatorum Juris re-  
mediis compellere possim, ut rem venditam vel locatam  
totam mihi tradat: & vice versâ. Procedit tamen id-  
tùm demùm, si convenerit, ut duo rei ex his contracti-  
bus fierent; ceteroqui pro partibus tenebuntur *d. l. si di-  
visa. 13. pr. C. locat. Emphyteuticum etiam contractum, ,  
commemoratis maximè affinem. §. adeò 3. Inst. de locat.  
& conduct. huc aggregant DD. quùm videlicet concessio  
prædii cuilibet eorum, qui comprehensi sunt in investi-  
tura, vel cum hac adjectione, *in solidum*, vel additis ver-  
bis æquipollentibus facta fuerit. *arg. l. 32. §. cum in plures  
14. ff. de recept. Bart. Bl. Socin. Alex. aliique laudati à Jo-  
han. Ronchegallo ad d. l. 9. n. 130.* Unde inferunt, uno  
ex hujusmodi Emphyteutis canonem solvere cessante, om-  
nes suo jure cadere & rem totam ad Dominum rever-  
ti.**

ti. post plures allegatos Ronchegall. d. l. n. 138. Augustin.  
Berojus Vol. 1. Consil. 120. n. 9. & seqq. arg. l. 18. ff. de duobus  
reis l. 85. §. pen. ff. de V. O.

XXIII.

Circà Societatem distingvendum: an Societas sit  
contracta super aliqua negotiatione, quæ publicam ha-  
bet causam, ut est conductio vectigalium, argentaria &  
similes l. 5. ff. pro soc. l. 10. §. 1. ff. de edend. Edict. Justin. 7.  
c. 4. in fin. & tunc omnes socii rei debendi in solidum di-  
cuntur. Bart. in d. l. eandem. n. 9. ff. de duobus reis & in Auth.  
hoc ita. n. 11. C. eod. Bald. Consil. 262. & 263. lib. 5. Petr. de U-  
bald. in tr. de duobus fratribus part. 9. num. 1. Hector Feli-  
cius tract. de societate c. 30. n. 30. arg. l. 25. pr. & l. 27. in f.  
princ. ff. de pact. An verò utilitatem tantum privatam  
spectet, & privatâ auctoritate ineatur: quo casu liqui-  
dem obligatio contracta fuerit per institorem, sive tacitè  
sive expressè præpositum, etiam unum de numero suo,  
socii omnes erunt rei in solidum obligati, & quilibet ex-  
ercitoriâ aut institoriâ tenebitur. Bart. & DD. com-  
mun. quos refert & sequitur Hector Felicius d. c. 30. n. 31.  
Anton. Perez. prælection. in Cod. tit. de duobus reis num. 17.  
per tx. l. 1. §. fin. cum duabus ll. seqq. l. 4. §. 1. ff. de exercitor.  
act. l. 13. §. ult. cum l. seq. ff. de instit. act. Sin verò ipsi socii  
simul omnes contrahant, non obligantur in solidum,  
sed quilibet pro ea parte, quam in societate habet  
l. si tamen plures 4. pr. ff. de exercitor. act. Bart. & Petr. de  
U bald. loc. cit. Menoch. consil. 410. n. 35. lib. 5. Felic. d. c.  
30. n. 34. ubi complures casus, quibus hoc fallit, subjun-  
git. Denique si socii separatim negotia exercent, vel  
ratione locorum, vel negotiationum, quilibet ex con-  
tractu alterius in solidum obligatur, quoniam institores  
in vicem præpositi censentur, arg. l. qui in provincia 41. in  
C 2 f. ff. de

*f. ff. de reb. cred. l. jure provisum §. C. de fabricensib. lib. ii.*  
Bart. & Petr. de Ubald. *loc. alleg.* Johan. Ronchegall. *in d. l.*  
*eandem §. ff. de duob. reis num. 195, & seq. Felic. d. c. 30. num.*  
*16. & 17.*

#### XXIV.

Ex *Mandato* duorei constituuntur tunc, quando pluribus in solidum commissa est negociorum administratio. *l. creditor. 60. §. duobus 2. ff. mand. l. 15. in f. ff. de tut. & rat. distr.* Gloss. *ad l. 9. in verb. commodato, ff. b. t.* id est, quando ita procuratores universorum bonorū seu generales effecti sunt. Gothofr. *in not. ad d. l. 60. §. 2.* Quia enim quivis eorum in solidum gerere negotia potest, idē in solidum adversus quemlibet actio datur. *l. 3. j. l. anteced. §. fin. ff. de curat. bon. dand.* Secus est, si administratio non fuerit concessa singulis; tunc namque unus sine altero nihil gerere potest, & quilibet de suo tantum facto tenetur. *arg. l. 26. ff. de negot. gest. l. 1. §. 14. ff. de exercit. act.* Bart. *ad d. l. 9. n. 8. ff. de duobus reis, & in Auth. hoc ita n. 10. C. eod.*

#### XXV.

Præcipuè autem & frequentissimè Conrei fiunt *Verborum Obligatione*, id est, stipulatione, quemadmodum *ex l. 9. ff. b. t. supra pos. XIV. monitum.* Unde & pleraq; *Jcto-*rum responsa ac quæstiones, & omnem penè hujus articuli tractationem huc accommodatam cernas. Neque verò cōventionalibus tantummodò stipulationibus, quæ ex conventionē *REORUM*, hoc est, utriusque partis, fiunt. *l. 5. pr. ff. de V. O. j. §. conventionales. 3. Institut. de divis. stipulat.* sed & cæteris speciebus, plures promittendi reos constitui, patet *ex l. 14. ubi Ronchegall. n. final. ff. b. t.* Cæterum ut stipulationum duorei fiant, præter alia requisita, cuiq; stipulationi communia, in primis necesse est, ut ab utroque ad interrogata fuerit respon-

responsum; nam si alter duntaxat responderit, hic solus obligabitur *l. 6. pr. ff. b. t.* Deindè ut inter responsionem utriusque nec longum spacium (quale est, si hodiè alter, alter posterâ die responderit. *l. 12. pr. ff. b. t.*) interponatur, nec is actus qui contrarius sit obligationi, *l. 6. s. ult. d. l. 12. pr. ff. b. t. arg. l. 1. s. 1. l. continuus. 137. pr. ff. de V. O.* Modicum enim intervallum temporis modicusq; actus (v. g. si fidejussor interrogatus inter duorum reorum responsa responderit) non impedit obligationem Conreorum *d. l. 6. s. ult. ff. b. t.* Sed & si post longū tempus repetitâ stipulatione, alter ex promissoribus, qui antè non sponderat, continuò respondeat, atque ita *separatim* promittat, perfectâ utriusque obligatione duo rei constituentur, Wesenb. *in parat. Digest. b. t. n. V.* Justus Meier *in C. J. A. b. t. th. 13.* Conf. Mantic. *de tacit. & ambig. convention. lib. XV. tit. 3. n. 1. usq. ad 5.* Alexand. Trentacinq. *Var. Resolut. lib. 3. tit. de solution. resolut. 34. n. 10. & seqq.* nam & pristina obligatio durat, & sequens accedit. *l. 3. princ. ff. b. t.* videl. tanquàm æquè principalis, quemadmodum & aliàs verbum ACCEDENDI usurpatur in *s. praterea 3. Inst. quib. mod. toll. oblig. l. fin. C. de novation.* observante Joh. Ronchegallo *ad d. l. 3. pr. n. 26.*

XXVI.

Tandem *Literarum Obligatione* duos reos debendi fieri, nullus dubito. Nec moveor, quòd à veteribus Jctis de hoc capite nihil prorsus relictum posteris inveniat. Etenim licet hoc obligationis genus priscis temporibus haud planè esset incognitum, sicut eleganter probat Ronchegallus *ad l. 9. ff. b. t. n. 286. & seq.* Anton. Hering. *tr. de fidejussor. c. 10. n. 9. 10. per text. Caji. lib. 2. Inst. tit. 9. pr. & s. 13. l. 2. s. 1. l. 38. ff. de O. & A.* tamen quia satis aptè concludi poterat sub Verborum Obligatione,

tione, & fortè non multùm olim frequentabatur, mirum non est, si Juri hoc loco & alibi non fecerint ejus mentionem. Itaque dum Papinianus *in l. 9. b. t.* stipulationem commemorat, Literarum quoque Obligationem utpotè maximè affinem complecti videtur; aut saltem sub illis verbis generalibus, CÆTERIS CONTRACTIBUS. Nam quoniam & ipsa contractus est, ab hac decisione neutiquam venit excludenda, quùm præsertim ratio, quæ militat in cæteris contractibus, in hoc quoque locum sibi vindicet. Quapropter si duos ego per chirographum obligavero, utriusque fidem in solidum sequutus, fient illi duo rei promittendi, Ronchegallus *d. loc. n. 288.*

## XXVII.

Dictum fuit hætenus de singulis Contractuum generibus, quibus per semetipsos duo rei in solidum obligantur: Consequens est, ut quando *ex contractibus aliorum* constituentur, breviter videamus. *Exercitoria actione*, si plures sint, qui nauticam exercent, & unum magistrum navi præposuerint, singulos in solidum conveniri supra th. XXIII. innuimus, *ex l. 1. §. fin. l. 4. §. 1. ff. de exercit. act.* Quod non placet Hugoni Grotio *de J. B. ac P. lib. 2. c. XI. n. 13.* Nam hoc nec naturali æquitati convenire, quæ satis habet, si pro suis singuli partibus conveniantur, nec publicè utile esse; absterreri enim homines ab exercendis navibus, si metuant, ne ex facto magistri quasi in infinitum teneantur. Atque adeò apud Hollandos legem illam Romanam in usu non esse, post Grotium etiam Arnoldus Vinnius annotavit *ad Peckium de re nautica pag. 155. ibi: cæterùm hoc jus apud Hollandos receptum non est, apud quos singuli exercitores pro sua duntaxat parte conveniri solent.* Veruntamen rationem.

Roma-



Romanarum legum videri magis in natura fundatam,  
adversus Grotium novissimè asseruit Joh. à Felden *in*  
*Annot. ad admirandum opus de J. B. ac P. d. c. XI. §. 13.*  
*pag. 207.* quandoquidem exercitores circa magistrum  
societatem habeant, & quod ipsis ex societate recupera-  
re licet, sine damno solvere possint, quùm contrà in acto-  
ris damnum vergat, si cum singulis pro partibus agere te-  
neatur. Quas rationes ipsimet J. Cti adduxere *l. 2. §. 3.*  
*ff. de exercit. act.* Neque (ut hoc addam) metuere o-  
portet exercitores, ne ex facto magistri in infinitum ac  
vel ultrà æstimationem navis teneantur, quùm non ex  
omni contractu magistri, sed eo tantùm, qui de negotiis  
ad magisterium navale pertinentibus, & secundùm le-  
gem præpositionis initus est, dari exercitoriam, disertè  
doceat Ulpianus *l. 1. §. 7. §. 12. ff. eod. Add. l. fin. ff. eod.*

XXVIII.

Porro ex contractu Institoris à pluribus præpositi, in  
solidum adversus unumquemque agi posse attigimus su-  
prà, adductà *l. 13. §. fin. cum l. seq. ff. de institor. act.* Vid.  
præter ibi laudatos scriptores Joh. Herman Stam. *de ser-*  
*vit. personali lib. 2. c. 20. n. 3.* Capyc. *decis. 180. n. 3.* Nec  
refert, an pecunia ad unius tantùm manus pervenerit,  
quo ipso non impediri Jus solidi, Ludov. Romanus *con-*  
*sil. 114. num. 3.* Johan. Baptista Costa *de Juris & fact. scient.*  
*& ignor. dist. 52. n. 2.* & alii responderunt. Sed & Tribu-  
toria actio in utrumlibet ex dominis dabitur, si servus  
communis in peculiari merce negotietur, ambobus sci-  
entibus. *l. 3. pr. ff. de tributor. act.* Item si quis cum ser-  
vo duorum pluriumvè contraxerit, permittitur ei cum  
quo velit dominorum *actione de peculio* in solidum expe-  
riri. *l. 27. §. 3. §. 8. l. 30. pr. l. 11. §. ult. ff. de pecul. etiam*  
*cum eo, penes quem peculium non est l. 12. ff. eod.* Nec  
non

non *actione quod jussu*, si plures domini jusserunt, cum quovis in solidum agi potest, ad exemplum mandatorum *l. fin. §. ult. ff. quod jussu j. l. 52. §. fin. ff. de fidejussor.*

XXIX.

Quæ huc usque de Una Plurium Obligatione differuimus, ad Contractus proprios, in quibus consensus verus intercedit, pertinere. Accedamus nunc ad *Quasi Contractus*, in quibus Jus propter factum aliquod honestum conventionem tacite intervenisse fingit & præsumit, arg. §. 1. *Inst. de oblig. qua q. ex contr. nasc. l. 5. ff. de O. & A. l. 3. in f. cum l. seq. ff. quib. ex caus. in possess. eat.* Donnell. *lib. 15. Comm. c. 14.* Gœdd. *ad l. 12. ff. de V. S. num. 7.* Dn. Ludvv. *Disp. ad Instit. XIV. th. 5. lit. b.* Eos tùm alibi Contractuum appellatione Jcti comprehendunt *l. 16. ff. de neg. gest. l. 1. §. 6. ff. de pecun. constit. l. 49. ff. de O. & d. l. 23. de R. J. §. 1. Inst. de action. & passim: tùm in d. l. 9. b. t.* continere quoque Papinianus videtur. Postquam enim dixerat, duos reos promittendi non solum verbis stipulationis, sed & cæteris fieri contractibus, illud declarat exemplis nonnullis, inter quæ ultimò locò affert quoq; exemplum *testamenti*. Per quod procul dubio verè ac propriè non contrahitur, (neque enim cum herede, neque cum defuncto ullum negotium legatarius gessisse propriè dici potest, §. *heres quoq. 5. Inst. de oblig. qua quasi ex contr.*) At veriùs ejus occasione quasi contrahitur, nempe per *aditionem hereditatis* ab heredibus institutis factam, ex qua illi quasi ex contractu legatariis debere intelliguntur *l. 5. §. 2. ff. de O. & A. d. §. 5. Institut. de obligat. qua quasi ex contr. l. 3. §. ult. & l. seq. quib. ex caus. in possess.*

XXX.

Constituuntur autem duo rei *Testamentò*, si pluribus

bus heredibus institutis testator dixerit: TITIVS ET  
MÆVIUS SEMPRONIO DECEM DATO. Ita rectius  
ex Florentino exemplari legitur, pro DANTO, quod ha-  
bet lectio vulgaris. Nimirum verbum hoc intelligitur  
repetitum in persona cuiusque, & perindè est, ac si u-  
numquemque testator istis verbis alloquutus fuisset:  
quo fit, ut quisque gravatorum ad idem legatum præ-  
standum in solidum teneatur. Nam verbum illud,  
DATO, quum sit singularis numeri, utrumque singula-  
riter, h, e. singulos in solidum obligat, nec admittit con-  
trariam interpretationem de legati debito in viriles di-  
videndo. Anton. Faber, *lib. XI. Conjectur. c. 19.* Neque  
verò conjunctio personarum per copulativam, ET, ope-  
ratur, ut singuli pro partibus adstricti censeantur, quia  
testator eos non tam conjunxisse, quàm celerius dixisse  
videatur, ut in simili ait Ictus Pomponius *l. 66. ff. de he-  
red. Instit.* Joh. Ronchegal, *ad d. l. 9. h. t. n. 291.* Quam-  
obrem opus non videtur emendatione Jacobi Cujacii  
*lib. 5. Observ. 35. Et in Papiniano lib. 27. question. ad d. l. 9.  
h. t.* particulam disjunctivam, AUT, pro, ET substituen-  
tis, ex *l. si extoto 8. §. 1. ff. de leg. 1. l. 16. de leg. 2. l. 25. de leg. 3.*  
Quanquam verissimum sit, eo genere orationis duos  
reos debendi constitui, multò etiam clariùs quam pri-  
ori, ceu *dd. ll.* perspicuè monstrant, dissentiente licet  
Antonio Fabro *loc. alleg.*

XXXI.

Cæterum, si ex ejusmodi vel simili sermone con-  
stiterit, testatorem voluisse inter heredes gravatos esse  
jus duorum reorum, nihil refert, sive à certis personis  
heredum nominatim legatum sit, sive ab omnibus ex-  
cepto aliquo, sive omnes heredes nomenclentur. *l. si ve à  
certis 17. ff. h. t.* Nam in omnibus his speciebus singuli,

D

à qui-

à quibus relictum est, legatum totum seu in solidum, debebunt; *QUIA HEREDITAS EOS OBLIGAT*, ut inquit *JCtus Paulus in d. l. 17.* id est, quia unusquisque heredum, quum verbis testamenti inspectis totò legato oneretur, hereditatem adeundo, suo quasi contractu ad id se obligat; quemadmodum verba ista *JCti* bellè interpretatur *Joh. Ronchegallus ad d. l. 17. n. 6.* quamvis in seqq. ab hac sententia discedat. Debebunt, inquam, legatum totum singuli, ut non teneantur tamen ultrà vires portionis acceptæ, sed hâc tenùs si solidum ex parte illa præstari possit. Ideoque verba *d. l. 17. PRO PORTIONIBUS HEREDITARIIS*, non ad differentiam virilium portionum, sed ad moderandam duorum reorum obligationem posita esse & pertinere censet *Albericus Gentilis lib. 4. epist. c. 11.* & eum sequutus subtilissimus *Bach. ad Treutl. Vol. 2. Diss. XI. th. 7. lit. B. C.* *Diss. DD. diversimodè legem 17.* explicantes, inter quos veterum sententias compilavit & refutavit *Ronchegallus d. l.* ac novam ipse attulit. vid. præterea *Nic. de passer. in Conciliat. LL. 112. p. m. 695. & seqq.* *Gregor. Lopez. animadvers. Jur. Civil. c. 29.* *Hillig. ad Donell. lib. VIII. Comm. 29. lit. C.*

### XXXII.

Occasione hujus quasi contractûs dum reliquos intuemur, in eorum quovis Unam Plurium Obligationem deprehendere datur. Ac præcipuè *tutores* in mentem redeunt, de quibus aliqua dicturos supra promississe recordamur. Ante omnia advertendum est, tutelam esse munus publicum personale *l. 1. §. 4. l. ult. §. 1. ff. de mun. & honor.* quod inviti etiam subire coguntur *l. 1. pr. & §. 1. ff. de admin. & per. tut. l. 3. C. de suspect. tut. vel curator.* Sic ut mandatum universale administrandi negotia

gotia pupilli quasi ab ipsa lege habere videantur. Bach.  
ad §. tutores quoq; 2. Instit. de oblig. qua quasi ex contr. Cui  
congruum est, ut quilibet ex tutoribus ipso jure in soli-  
dum conveniri possit, propter l. 55. ff. de administ. & pe-  
ric. tut. l. quoties 2. C. quo quis ord. conven. lib. 11. & quatuor  
rationes allatas à Paulo Montano tr. de tutel. c. 39. n. 93.  
& seqq. Solent autem Magistratus plerumque uni tu-  
telæ gestionem decernere, aut administrationem inter  
eos distribuere l. 3. & 4. ff. eod. aut ipsi tutores privatâ  
conventionem tutelam dividere l. 2. in f. l. 3. C. de divid. tut.  
Quâ ratione evenit, ut vel pro partibus tantum suis con-  
veniri l. 2. vers. in divisionem. C. eod. vel solidi exactio-  
nem beneficii ordinis excludere valeant l. 1. §. 2. ff. de  
administ. tut. l. 1. §. 15. ff. de tut. & rat. distr. l. 3. C. de divid.  
tut. Itaque unô ferè casu correorum naturam reti-  
nent tutores: nempe quando tutelam æqualiter admi-  
nistrârunt. Tunc enim pupillus habet electionem,  
quemnam ex tutoribus convenire velit, qui solidum sol-  
vat, & cui actionem contra ceteros cedat l. 2. pr. C. de di-  
vid. tut. l. 6. in fin. C. arbitr. tutel. Magnif. Dn. Carpz. Ju-  
rispr. Forens. part. 2. Const. XI. Definit. 36. n. 1. Et tamen  
pendebit à causæ cognitione & arbitrio judicis, an in u-  
num in solidum actionem cum beneficio cessionis di-  
ctare, an exceptionem divisionis admittere, & pro parte  
in singulos judicium dare velit arg. l. 1. §. 10. 11. & 12. ff.  
de tut. & rat. distr. l. ult. ff. rem pup. salv. fore. Bachov.  
in not. ad Wesenb. paratit. de administ. tut. n. 5. Ut adeò  
scitè scripserit antiquus Interpres Joh. de Platea in l. quo-  
ties 2. C. quo quisq; ord. conven. ex officii quadam neces-  
sitate, etiam novô Jure tutores duos reos esse referente  
Arnoldo de Reyger. in Thesaur. Jur. verb. Correat. n. 10.

## XXXIII.

*Negotiorum quoque gestione duos reos fieri contingit, si plures simul aliquod negotium gesserint, ut in solidum ejus nomine singuli obligarentur l. tutores 39. §. curatores 5. §. 9. ff. de administ. tut. Et ex opposito, si unus gerat plurimum negocia, adversus singulos qui non prohibuerunt, in solidum actionem negotiorum gestorum contrariam habebit arg. l. 8. §. ult. de neg. gest. Joh. Ronchegall. ad l. 9. b. t. n. 294. §. 295. Idem de cæteris quasi contractibus, rerum scil. aut hereditatis communiõne, ac solutione indebiti, esto judicium. Nam in eos nunc inquirere tempus non patitur: sicuti neque in distractus, cum contractibus æquâ lance ponderandos. juxt. l. quod si nolit, 31. §. si venditori 10. ff. de adilit. edict. Add. Everhard. in Loc. arg. Legal. Loc. à Contractu ad Distractum. 41.*

## XXXIV.

Absolutâ Contractuum consideratione ad illas Conventiones, quæ vim producendi actionem aliundè, & ex accidentali munimento accipiunt, deveniendum est. Nihil autem hîc moramur *Pacta adjecta*, quia contractibus in continenti addita, iis quasi pars cohærent, eorumque actionem informant, l. 7. §. 5. ff. de pact. l. 13. C. eod. l. 24. ff. de posi. Eadem igitur in his obtinent, quæ de Contractibus dicta fuere. Imò hæc ipsa sunt, per quæ in Contractibus duo rei potissimum constitui solent. Vid. th. XIV. *Pactis legitimis, Constituto & Donatione*, duorum reorum obligationem contrahi, antea indicatum memini. Quibus jam adjungo *dotis promissionem*, ad plures in solidum adstringendos sine controversia habilem, quippè quæ nec fidejussores repudiat l. 5. §. 6. l. 55. ff. de jur. dot. l. 60. §. 1. ff. mand. Alia verò est non levis  
disce-

disceptatio, an servandæ aut restituendæ dotis causâ duo  
rei promittendi fieri possint? Circa quam communi  
sententiæ affirmantium subscribimus, moti non modò  
*ix. l. fin. C. de dot. caut. non num.* sed æquè principali u-  
triusque debitoris obligatione, alterum pro fidejussore,  
haberi non sinente. Vid. Johan. Ronchegall. *ad l. si id  
quod ego. 15. ff. h. t. n. 22. & seqq.* Mantic. *de tacit. & am-  
big. convent. lib. XV. tit. 2. n. 8. & 9.*

XXXV.

Superest de factis obligationem producentibus, il-  
licitum seu *Delictum*, non paucorum Doctorum calculò  
materiæ hujus finibus ejectum. Hoc si à me recipiatur,  
deprecari necesse habeo, ne quis mihi objiciat, quod  
Callistrato, Atheniensium legato, Epaminondam re-  
spondisse Cornelius, Nepos memoriæ prodidit, *in vita  
Epaminond. c. VI. §. 3.* Utcunque res cadat, jacta est alea,  
& jam th. VII. sensum meum aperui, ulteriori explica-  
tione hic illustrandum. Nimirum omninò exclusam  
cupio obligationem & accusationem ex delictis crimi-  
nalem, quâ agitur ad id quod reip. interest: quòd hic  
solutione pœnæ ab uno factâ, ceteri nequaquam impu-  
niti abeunt. *l. fin. & ibi DD. ff. ad L. Cornel. de sicar.* Adde  
Magnif. Dn. Carpzov. *Præct. criminal. part. 1. quest. 25.  
per tot.* Quando verò ex delictis civiliter agitur ad  
commodum privatum, tunc aut rem persequimur, aut  
pœnam, aut utrumque. Posterioribus duobus casibus,  
quùm aut pœnalem actionem aut mixtam intendimus,  
(talem scilicet quæ ab initio & naturâ suâ pœnam con-  
tinet, ne obstet *l. 14. §. ult. ff. quod met. caus.*) plures de-  
linquentes duo rei existimari nequeunt, utpotè solutio-  
ne unius ceteros neutiquam relevante *l. item Mela. 11. §.  
2. & ibi Glossa in verb. cum sit pœna ff. ad L. Aquil. l. 52. §. fin.*

eod. l. 7. in fin. cum l. seq. ff. de iurisdict. l. 5. §. pen. ff. ne quis  
eum qui in jus voc. l. utiq. 21. ff. de liberal. caus. l. 6. pr. ff. ar-  
bor. furt. cas. l. 1. §. fin. si quis testam. lib. esse iuss. l. 1. C. de  
condict. furtiv. Unde etiam in foro Saxonico quilibet oc-  
cisorum integrum Wergeldum solvere tenetur. Ma-  
gnif. Dn. Carpz. dict. tr. part. 1. quest. 34. n. 31. Et seqq. Pri-  
ori, quando nempe persequimur quod nobis abest, Cor-  
reorum instar obtinet, & unius satisfactio omnes liberat.  
l. 1. §. si plures 4. j. l. 3. pr. ff. de eo per quem fact. Et c. l. 3. pr. ff.  
si mens. fals. mod. dix. quia consequitur actor, quod sibi  
debetur, & adeo solutione unius tota obligatio consumi-  
tur. d. l. 1. §. 4. ibi: cum nihil intersit ff. de eo per quem fact. l.  
bona fides 57. ff. de R. J. j. l. 3. inf. ff. de duob. reis. Conf. Ni-  
col. Boër. decis. 310. Alber. aliosque adductos à Joh. Ron-  
chegallo ad l. 9. h. t. n. 301. usq. 308. Reinhard. Bachov.  
in Not. ad Wesenb. paratit. Digest. ne quis cum qui in jus voc.  
n. 4. Et in tr. de action. Disp. V. tb. 14. In quasi delictis in-  
distinctè locum reperit Una Plurium Obligatio, & si reo-  
rum unus interesse poenamvè præstiterit, ceteri liberan-  
tur l. 1. §. ult. j. l. 3. ff. de his qui effud. vel. dejec. quoniam  
in his culpa versatur, mitius utique, quàm dolus, puni-  
enda, post Salicet. in l. 1. C. de condict. furtiv. in fin. Jas. ad §.  
pœnales Inst. de act. n. 12. Bachov. loc. alleg.

XXXVI.

Perlustratis sigillatim factis, ex quibus obligatio-  
nem nasci Jura voluere, circa Causas Obligationis Cor-  
realis nihil reliqui fecisse persuasus eram, quum in me-  
moriâ incidit, esse præterea varias causarum figuras,  
à J. C. Cajo indicatas l. 1. pr. ff. de O. & A. At quasnam istis  
verbis indigatas credam potiùs, quàm casus extraordi-  
narios, quibus obligatio & actio datur, ut tamen vix ulla  
vestigia alicujus conventionis supersint, cum acutissimo

Bachov.



Bachovio *ad S. ult. Inst. de oblig. n. 8.* Dn. Tabore *in Partit. Elementar. part. 3. sect. 3. c. 42.* Oriuntur nempe non rarò obligationes *immediatè ex Jure*, quorrens generalis æquitas suadet, aliquem sine prævio facto suo ad præstandum secundum præceptum legis adstringi *l. 52. §. 5. ff. de O. & A.* Qualia exempla *ex l. 5. §. 12. 12. 14. 15. & seqq. l. 3. §. 9. & §. 11. ff. ad exhib. l. 4. §. 1. ff. de edend. l. 32. ff. de reb. cred.* aliisque pluribus attulere Dn. Frantzkius *Disp. de obligat. Exercitationibus subjuncta, th. 15.* Dn. Henricus Hahn, *in observat. Theor. Pract. ad Wesf. paratit. de O. & A. n. 5. pag. 654. 655.* Planè quum *immediatè*, (ut sic dicam) conventionibus & delictis interpositis, Jus Unam Plurium Obligationem gignere tractaverimus, non est, cur eandem *immediatè* à lege aut statuto produci posse, ambigamus. *arg. l. 1. vers. cum enim C. commun. de legat. & fideicommiss.* Vid, Carol. Ruin, *lib. 1. Consil. 75. n. 5.* Atque huc pertinere arbitror Constitutionem illam Basilii Porphyrogennetæ *περὶ ἀλληλεῦσιν τῶν ὀμοτελῶν*, quâ jussit, ut pro pauperibus, qui bonis essent lapsi, tributum inferrent locupletes, quasi essent *ἀλληλέεσσοι*, hoc est, Correi; indeque illa tributorum illatio *ἀλληλέεσσον* vocata. Eam postea abrogavit Romanus Argyrus, uti ex Georgio Cedreno refert Joh. Gœdd. *de contrah. & committ. stipulat. c. V. conclus. 10. n. 160.* & inde transcriptas quoque inter Constitutiones Græcorum Impp. Novellis Justiniani subjectas invenire licet.

### XXXVII.

Recensuimus CAUSAS UNIUS PLURIUM OBLIGATIONIS PROPINQUAS, inter quas unaquæque ad Correo constitutos sufficit, dummodò EADEM in singulorum personis concurrat. *propter l. 9. ibi: apud duos pariter deposui. & paulò post: duobus similiter com-*  
*moda-*

*modavi. ff. h. t.* Undè si Titius mihi centum aureos ex causa emtionis promittat, Cajus eosdem ex causa mutui, vel stipulationis, duo rei debendi dici nequeunt Bart. *ad Auth. hoc ita n. 14. C. h. t. & ad l. fin. ff. eod. n. 1.* Schneidevv. *ad pr. Inst. eod. n. 6.* Similiter ex diversis delictis obligati pro Correis debendi non habentur *l. qui servum 20. pr. ff. de interrog. in Jur. fac.* quam eleganter explicat Princeps Interpretum Cujacius *in Paulo lib. 2. quest.* Ex quo difficile nascitur argumentum adversus ea, quæ th. XXX. disserui, posse nimirum ex delictis duos reos constitui. Etenim si singulorum delinquentium proprium est maleficium, ac tot delicta sunt, quot & personæ perpetrantium. *l. si plures 34. ff. de injur.* quâ ratione poterit eorum esse una obligatio? Quin imò contradictionem sapit, esse plura delicta, & unam tantum Obligationem; non magis enim plura delicta, quàm plures Conventiones unam Obligationem habere possunt: & singula delicta necessariò singulas & totidem obligationes præsupponunt. Bachov. *ad s. ult. Inst. si quadrup. paup. fec. dic.* Sed animadvertendum est, Leges effectum Obligationis potissimum respicere, & id, quod ex delictis actori præstandum est. Itaque si talia sint multorum delicta, ex quibus pœna peti potest, quoniam non sufficit unum pœnam luere *l. 8. de juris d.* sed quisque sui delicti pœnam sustinere debet; quod alius præstitit, alium non revelat *l. 11. §. 2. in fin. ibi: cum sit pœna, junct. Gloss. ff. ad L. Aquil.* Sin autem ejusmodi delictum plures committunt, quod non pœnâ, sed restitutione ejus, quod actoris interest, coërcetur (veluti *in l. 1. §. 4. ff. de eo per quem fact.*) quia unicum est interesse, meritò unius solutio omnes liberat *d. l. 1. §. 4. ibi: cum nihil intersit.* Nec enim bona fides patitur, ut bis idem exigatur

tur *l. 57. ff. de R. J. l. 51. §. 1. ff. de re jud.* Erunt ergo omnibus his casibus plura delicta, & plures obligationes; sed priori multiplicatum quoque effectum sortientur, posteriori verò, effectu inspecto, pro uno delicto unicàque obligatione reputabuntur. Facit, *l. 3. pr. ff. de O. & A.*

### XXXVIII.

Ad tractationem CAUSÆ EFFICIENTIS pertinent etiam MODI, QUIBUS UNA PLURIUM OBLIGATIO CONSTITUI SOLET. Accidit id duplici ratione, modò EXPRESSE, modò TACITE. EXPRESSE quando disertè & perspicuè instrumento (vel, ut Jctus ait, TABULIS) comprehensum est, aut actum à contrahentibus, ut velint esse duo rei debendi. Schneidvvin. Mynsing. Heigius & Institutistæ commun. *ad pr. Inst. de duob. reis.* Quam in rem duo exempla affert Bart. *ad l. 2. ff. h. t. n. 2.* Primum, si dictum sit, velle ipsos in solidum teneri. Secundum, si conceptis verbis exprimatur, quòd sint duo vel plures rei. De posteriori dubitare non sinunt usi hâc formulâ Jcti, Papinianus *in l. reos 11. §. 1. ibi: neq. adjectum ita ut duo rei stipulandi essent, & §. 2. ibi: spondisse, ita ut duo rei promittendi fierent, ff. h. t.* & Paulus *in l. Granius Antonius 71. pr. ibi: ita ut duo rei ejusdem debiti fuerint, ff. de fidejussor.* Ac parùm urget scrupulus, quem Joh. Ronchegallus injicit *ad d. l. 11. §. cum tabulis, ff. h. t. n. 67.* scilicet formulam illam: UT DUO REI SINT: circumscriptâ aliâ omni qualitate, ambiguitate haud carere, nam quia *reorum* nomen generale est, etiam, qui diversas quantitates, vel viriles portiones debent, rectè dici duos reos, & hos tamen ad idem & in solidum nequaquã teneri. Verùm enim verò quis nescit, verba in potiore significatu accipienda? præsertim quoties subjecta materia id suadet, *l. quoties 67. ff. de R. J.* Et ita semper inter-

E pre-

pretanda, ne dispositio reddatur illusoria *l. 22. pr. ff. de usu & habit. l. 10. pr. ff. de leg. 1.* Accedit, quod instrumentis contractuum conscribendis Jurisperiti plerumq; adhibeantur; verba igitur ab illis prolata, secundum sensum Juridicum & legalem erunt intelligenda, Georg. Barschamb. *in Radic. clausular. c. 14. n. 11.* Quamobrem, tametsi facile largiar Ronchegallo, tutius esse, ut in hujusmodi Correorum constitutionibus in testatum redigendis tollamus ambiguitatem omnem, & exemplò Jctorū tam *in l. 11. §. 2. in fin. bt.* quàm *in d. l. 1. pr. ff. de fidejussor.* conjungamus hæc simul, & faciamus mentionem OBLIGATIONIS SOLIDI, AD IDEM, QUODQ; DEBITORES UTI CONREI OBLIGENTUR; (Dass sich ihrer zween oder mehr vor eine Summa / als rechte selbstschuldige sämptlichen und sonderlichen verschrieben / daß sie für einen Mann / bis zu völliger und gänzlichher Bezahlung / stehen uñ halten wollen. Schneidvvin. *ad pr. Inst. b. t. n. 3.*) Attamen firmiter persuasus sum, etiam absq; aliorum verborum adjectione, solâ mentione ejus, QUOD DUO REI SEU CONREI FIANT, Unam Plurium Obligationem expressè constitui. Facit. *l. non rectè 4. vers. nam licet C. de fidejussor.*

XXXIX.

Quod ad alterum exemplum attinet, scil. an verba, IN SOLIDUM (quibus in Lingva Germanica respondent, sämptlich und sonderlich / vel sampt uñ sonders. Paul. Math. Wehner. *Observ. Pract. verb. Sämplich / sampt und sonders n. 10.*) expressam duorum reorum constitutionem arguant? in diversa abeunt Doctores. Aliqui enim illa ad expressam, plurimi ad tacitam referre, nonnulli recentiores ad neutram sufficere malunt. Mihi media & communior sententia arridet, servatâ saltem distinctione, utrum res, quæ in obligationem deducitur, dividua sit, an dividua. Hæc, quoniam naturâ suâ non nisi solida de-  
beri

beri aut certè solvi potest *l. 2. §. 1. ff. de V. O. frustra & sine*  
effectu cum clausula hac promittetur; expressio namq;  
eorum, quæ tacitè insunt, nihil operabitur, *d. l. non rectè*  
*4. vers. nam licet. C. de fidejussor. l. 2. §. si tamen hominem 3. ff.*  
*de V. O.* Secus est in rebus dividuis. Nam super istis con-  
trahendo si de solido dicatur, exprimitur id quod aliàs  
non inest, atq; expressio operatur illud ipsum, quod ver-  
ba sonant, ut scil. sit obligatio in solidum. Et quia hoc pro-  
prium est duorum reorum, à quo eos describere non pœ-  
nituit. *Jctum in l. & heredi 22. §. ult. ff. de pact.* idcirco  
tacitam saltem correorum constitutionem factam ad-  
mittemus. Ita ferè Ronchegall, *d. l. n. 69.* Petr. Heigius  
*ad §. nam si prius Inst. h. t. n. 5.*

XL.

Hic ergò unus modus est TACITÆ DUORUM REO-  
RUM CONSTITUTIONIS; sunt præterea complures alii. Ac  
generaliter TACITE duos reos fieri dicemus, quoties id  
expressè actum non est, sed aliàs apparet vel ex verbo-  
rum conceptione, vel ex re ipsa, tale quid sub esse. *Ex for-*  
*ma conceptionis* qui cognoscatur, Imperator docet *pr. In-*  
*stit. h. t. Duo pluresve rei promittendi ita fiunt: MÆVI,*  
*DECEM AUREOS DARE SPONDES? ET SEI EOSDEM DE-*  
*CEM AUREOS DARE SPONDES? si respondeant singuli se-*  
*paratim, SPONDEO.* Imò nihil refert, sive singulari sive  
plurali verbò promittendi rei utantur in responsione:  
ideoque sive ita interrogati, SPONDETIS? respondeant,  
SPONDEO; sive ita interrogati, SPONDES? respondissent,  
SPONDEMUS, rectè obligantur *l. duo rei. 4. ff. h. t.* Rectè,  
inquam, dummodò supponamus alia verba, ex quibus  
constet idem promissum esse in solidum (qualia in for-  
mula Imp. adjiciuntur) *arg. §. præterea 5. Inst. de inutil.*  
*stipulat.* & hoc quæri duntaxat, an duos reos facere vo-  
lentibus nihil noceat forma interrogandi, diversa à for-

ma responsionis. Ronchegall. *add. l. 4. ff. b. t. n. 9. & 11.*  
Donell. *Comm. Cod. b. t. c. 4. n. 6.* Add. Barnab. Briffon.  
*de formulis lib. VI. p. m. 562.*

XLI.

Planè quadruplicem verborum figuram hîc atten-  
dendâ monent Interpretes, Sunt enim vel *relativa seu re-*  
*petitiva*, vel *distributiva*, vel *alternativa seu disjunctiva*,  
vel *copulativa*. *Repetitiva* (ut appellantur) seu *relativa*  
sunt voces, IDEM vel EADEM *d. pr. Inst. b. t. l. l. pe. 2. l. fin. ff.*  
*-od. arg. l. 28. §. si ipsi 2. l. 29. ff. de stipul. serv. & passim.* vel  
quùm dictum fuerit; EX QUA SUMMA OBLIGATUS EST  
MÆVIUS, EX EA ME OBLIGO. DD. communiter post Bart.  
*in l. 2. ff. b. t. n. 2.* *Distributiva*, quando adjicitur promif-  
sioni dictio, QUILIBET, UNUSQUISQUE, SINGULI, UTERQUE  
vel UTRIQUE *arg. l. si pluribus 44. pr. & ibi Gloss. in verb.*  
*sed omnes. ff. de leg. 2. l. non distinguemus 32. §. cum in plu-*  
*res. 13. ff. de recept. l. potest. 36. §. 1. & l. seq. ff. de vulg. &*  
*pupill. substit. l. in singulis 77. ff. ad L. Falcid. princ. Inst. b. t.*  
quoniam hujusmodi dictiones rem cuilibet in solidum  
attribuunt. Andr. Tiraquell. *de retractu consang. §. 31.*  
*in gloss. un. n. 11. & 12.* Joh. Ronchegall. *ad l. 11. §. cum ta-*  
*bulis ff. b. t. n. 77. & 88.* qui alios innumeros in testimo-  
nium vocant. *Disjunctiva sive alternativa*, si à duobus sub  
particula, AUT, vel simili promittatur. Ea namq; hujus-  
modi locutionum vis est, ut pariter ad utrumq;, sejun-  
ctim licet, effectum suum porrigant, & unicuiq; totum,  
adscribant *l. si ex toto 8. §. 1. de legat. l. 16. pr. de leg. 2. l. 25. pr. ff.*  
*de leg. 3. l. si duo 128. ff. de V. O. Auth. si quando C. de constit.*  
*pecun.* Et tribus quidem hisce orationum generibus ta-  
cité duos reos constitui non ambigitur. De *Copulativa*,  
igitur disquirunt, quando ad producendam obligationē  
correalem aptè adhibeatur? Certum est, eam simpliciter  
positam, actum cuilibet ex conjunctis pro virili, non au-  
tem totum attribuere. Ad quod probandum in omnium  
ore

ore fertur *l. reos 11. §. 1. & 2. ff. h. t. add. l. 1. & 2. C. si plures unâ sent.* Idcirco varios casus distingvit post Bart. & Castrens. *in l. 2. h. t. Schneidvv. ad pr. Inst. h. n. 12.* In summa res eò redit, ut unò casu Correorum constitutionem operetur Copulativa, sine adjectione particulæ alius potentioris: nempe quando est unus actus promittendi, & duæ rerum expressiones, v. g. *TITIUS DECEM, & SEMPRONIUS DECEM PROMITTIMUS*; tunc enim vocabulum, *EADEM*, subintellectum propter repetitionem putatur *l. stipulatio ista 38. §. eum qui 19. l. 56. pr. ff. de V. O.* Vid. Schneidvv. *d. l. Ronchegall. loc. alleg. n. 73. Mantic. dict. tract. lib. XV. tit. IV. n. 18. Alexand. Trentacinq. resolut. supr. cit. 34. n. 5.*

XLII.

Porro verba quæcunq; apta, & quidpiã duobus reis proprium exprimentia, tacitæ correorum constitutioni sufficere autumo, cum Johanne Ronchegallo *d. l. n. 74. 88. 89. Heigio ad §. nam si prius. Inst. h. t. n. 6.* Veluti si instrumento inserta sit clausula: *unverschaidentlich / INDIVISIM*; qui enim nolunt obligationem suam dividi, volunt ex asse obligari. Thoming. *decis. 17. n. 9. Meier. in C. J. A. b. t. n. 11.* Item quum facta est promissio à pluribus sub hac formula: *Keiner mit seiner anzahl abzukommen und loß zu werden / quæ æquipollet verbis: OBLIGAMUS NOS IN SOLIDUM.* Frideric. Pruckman. *Vol. 1. consil. 7. n. 3. & consil. 8. n. 38.* Eandem imò majorem vim habere videntur verba: *Einer für alle / und alle für einen.* Besold. *Thesaur. Pract. verb. sampt / sampt und sonderlich.* Efficax quoq; ad inducendam Correalem Obligationē est illa cautio, quum post separatam promissionem singuli bona sua in solidū obligant, eaq; pro integri debiti exsolutione teneri volunt. Aymo Cravetta *Vol. 1. consil. 77. n. 2.* Et quæ plura hoc genus apud Practicos observare datur inventa. Illud postremò notandum: si verba instrumenti recipiant u-

tramq; explicationem, ut correi constituti, aut etiam non constituti intelligi possint, nos sequi debere potius interpretationem posteriorem, uti ex *d. l. 11. §. 1. §. 2.* bene colligit Bachovius *ad Treutl. Vol. 2. Disp. 27. th. 9. lit. E.*

XLIII.

RE IPSA Correorum constitutio emergere videtur, quotiens res in obligationem deducta est, quæ partium præstationem non recipit. Et ideò si duo promittant rem individuum, sive quoad solutionem tantum talè, (lege & conditione stipulationis individuum vocat Dn. Frantzk, *Exerc. 10. quest. 4. n. 19. §. 25.*) veluti servum, lancem *l. 2. §. 1. l. 85. §. 4. ff. de V. O.* sive quoad obligationem & solutionem simul, (individuum naturam & jure appellat Dn. Frantzk. *d. l. n. 20.*) e. g. iter, actum, viam. *d. l. 2. §. 1. l. 72. pr. ff. de V. O. l. 17. ff. de servitut.* etiamsi id non exprimatur, tamen Reos & olim & hodiè constitui, indistinctè quidam adserunt; post vetustissimum Interpretem Jacobum de Belviso, *Gloss. in l. 11. §. cum tabulis. verb. videbantur ff. b. t. Joh. Sichard. ad l. creditor. 2. C. eod. n. 1.* Quorum sententia tentabo an defendi possit, contra communem Doctorum scholam. Bart. & Castrenf. *in l. 2. ff. b. t. §. in Auth. hoc ita. C. eod. Joh. Ronchegall. add. l. 11. §. cum tabulis n. 94. Schrader. de Contract. ad b. t. Inst. n. 31.* Haud secus EX RE, hoc est, ex facto ipso deprehenditur Correorum constitutio, si causa Unam Plurium Obligationem producat, nullam verborum declarationem desideret. Cujus taciti modi vires experiuntur ii, qui ex contractibus aliorum, itè tutelam, nec non delictò interesse pecuniario expiando, in solidum obligantur. Repetantur ea, quæ th. XXVII. XXVIII. XXXII. & XXXIV. disserui.

XLIV.

Verum enim verò quæ de tacita reorum constitutione



rione hactenus prolixè disputavimus, nullam aut mini-  
 mam certè utilitatem præbent, si illorum opinio obtinu-  
 erit, qui Jure Novellarum negant aliter duos reos deben-  
 di constitutos intelligi, quàm si nominatim & expressè  
 id agatur, aut saltem verba, IN SOLIDUM, adjecta demon-  
 strantur, Accurs. in l. 2. verb. in solidum debentur ff. h. t. & in  
 l. creditor. 60. §. duobus verb. pro solido ff. mand. & in l. 2. C.  
 quo quisq. ord. conven. lib. 11. Bertachin. in tr. de gabell. part.  
 4. principal. quest. 14. Ripa in l. 4. §. Cato ff. de V. O. n. 32. & ex  
 recentioribus Wesenb. in paratit. ff. h. t. n. 7. Jac. Cujac. ad  
 Nov. 99. Dionys. Gothofr. in Not. ad Auth. hoc ita. C. h. t. &  
 ad Nov. 99. c. 1. Andr. Gail. lib. 2. observ. 28. n. 6. Gudelin. de  
 Jur. noviss. lib. 3. c. 11. & lib. 4. c. 7. Paul. Christin. Decis. Belg.  
 Vol. 5. decis. 213. Henric. Zœs. in Comm. ff. h. t. n. 4. Ant. Perez  
 in Prælection. ad Cod. h. t. n. 16. Arnold. Vinn. Cōment. ad pr.  
 Inst. h. t. n. 4. Moventur tàm textibus dictæ Novell. 99. c. 1. ubi  
 dicitur, (siquidem non adjecerit (creditor) oportere unum ho-  
 rum (debitorū) in solidum teneri, omnes ex aquo conventionē  
 sustinebūt: & indè excerptæ Authentica. hoc ita. C. h. t. in qua  
 requiritur, ut SPECIALITER de eo id pactum vel conventū  
 fuerit. Tàm ratione; quod ideò fortassis hoc Imperator  
 constituerit, quoniam ex sola verborum figura hanc rem  
 discerni periculosum existimaret.

XLV.

Contrariam verò sententiam sequuntur alii, nec numerò  
 nec auctoritate inferiores, Bartolus, Baldus, Imola, Ange-  
 lus, Castrensis, Aretinus & Veteres penè omnes in d. Auth. hoc  
 ita C. h. t. Schneidevv. Mynsing. Heig. ad pr. Inst. eod. Joh.  
 Ronchegallus ad l. 11. §. cum tabulis ff. h. t. n. 75. & seqq. Tren-  
 tacing. dict. resolution. 34. n. 4. Mantic. lib. XV. tit. 3. num. 13.  
 Treutl. Vol. 2. Disp. 27. sb. 9. lit. E. & ibi Bachov. in Not. Magnif. Dn.  
 Carpzov. Jurispr. Forens. part. 2. const. 17. defn. 13. n. 10. 11. 12.  
 circa modum constituendi duos reos debendi Jus Vetus nulla-  
 tenus




tendens esse mutatum, unanimiter statuentes, Neque ii aut rationum pondere destituuntur, aut Juris dispositione. Nam, in primis pro hoc asserto militat illud vulgò jactatum, legum correctionem non facile admittendam, nisi de ea aperte constet. *l. si quando 35. pr. C. de inoff. testam. l. precipimus. 32. in f. C. de appellat.* At verò textus ab adversæ opinionis sectatoribus allegati nihil tale præ se ferunt. Nam, ut maxime Irnerii fidem agnoscamus, (neque enim hîc discutere libet, an perperam Authenticam istam transcripserit) tamen id tantum volunt ejus verba: quò solidi debiti exactio effectum habeat, (*Jung. l. anteced. 2.*) præter cætera requisita, quæ statim subjicit, in primis necesse esse, ut de hoc ipso, **QUOD UNUSQUISQUE TENEATUR IN SOLIDUM**, specialis pactio præcesserit. Non autem eò pertinent, ut per hæc duntaxat specialia verba, **UNUMQUEMQUE TENERI IN SOLIDUM**, non itidem per alia æquipollentia, obligatio solidi aut reorum constitutio procedere debeat. De conventionem itaque loquitur, non paciscendi formula, sive modo reos constituendi; Quemadmodum & Imperator in *Novella 99. c. 7.* Ubi ex verbis ante recitata statim sequentibus: **SI VERO ALIQUID ETIAM TALE ADJICIATUR**, satis manifestum est, eos tantum casus excludi, quando neque tacite neque expresse de voluntate constituendi duos reos constabat. Conf. Ronchegall. & Trentacinq. *loc. alleg.* Neque admodum periculosa erit hujus rei ex verborum figura dijudicatio: siquidem, ut supra diximus, talem interpretationem Judex faciet, ut in dubio haud temerè Correos factos arbitretur.


Diutiùs hæsimus circà Causarum Efficientium expositionem, quoniam hanc partem neglectam propemodum à recentioribus cernebamus. Quare factum est, ut cætera, quorum reum Disputationis initiò me constitui, propter angustiam temporis nunc quidem præstare non liceat. Præbebunt ea copiosam peculiari Disputationi materiem, in non longum tempus differendæ, dummodò merx hæc nundinalis aut novendialis potiùs industria facilem emtorem lectoremve benevolum repererit.

E I N I S.

VOM







6. 6  
DEO CLEMENTER GUBERNANTE  
&  
NOBILISSIMO JCTORUM ORDINE IN ACADEMIA  
LIPSIENSI PERMITTENTE

# UNAMPLURIUM

OBLIGATIONEM

PROLICENTIA

PRIVILEGIA ET HONORES IN UTROQUE  
JURE SUMMOS RITE CONSEQUENDI

publicè ventilandam exhibet

*In Auditorio Jctorum Petrino*

PAULUS HORNIGIUS

LIPSIENSIS PHILOS. MAG.

*Ad diem 12. Octobris*

ANNO MDCLV.

LIPSIÆ

Typis BAUERIANIS.

*Le Defensor.*